

245

243

249

propter quam Veneris simulacrum fuit de saxo pretioso, sed impolito et informato, quia fuisset indignum, ut Veneris imago et idolum fieret Christi sepulchrum. Hanc caussam non invenit Joh. Bocc. in Genethliaco gentil. deorum L. III. C. 23. In hoc ergo facto non minus commendandi sunt Cypri gentiles, quam Joseph et Nicodemus Judaei, tumulatores Christi, et merito in gratiarum actionem possemus eis dicere illud 2. Reg. II: benedicti vos Cypri a Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro, et eum sepelire decrevistis, et nunc retribuas quidem Dominus misericordiam et veritatem, sed et ego reddam gratiam eo, quod fecistis verbum istud. Et tantum de illo.

239

254

234

294

194

Huic cathedrali ecclesiae adhaeret grandis archiepiscopi curia. In ea insuper urbe est conventus pulcher ordinis nostri, et est ultimus conventus Praedicatorum contra orientem situsque est in regio castello supra torrentem, siquidem rex quidam Cypri tanto ad fratres inclinabat affectu, ut noluerit eos habere locum nisi in ipso castello, quod utique firmissimis muris et altis cum pluribus turribus munitum est, et per lapideum pontem, arcuato opere factum, ingressum habet tam castellum quam conventus, et circumductus est torrens per gyrum muri extrinsecus. Desolato autem et devastato regno multipliciter, ut supra patuit, ipsum castellum eversum fuit ab intra et combustum, conventus tamen fratrum diligentia in tantis incendiis integer mansit, et murus per gyrum cum ponte etiam mansit et hodie est, de castelli autem habitaculis nihil mansit nisi alti muri, quos ignis non poterat consumere. Sic ergo conventus noster hodie sols muris illis stat inclusus, nec admittitur, ut aliquis ibi quidquam aedificet, sed fratres totam latitudinem castelli possident. Ecclesia fratrum est regio ornatu decorata, et in ea est sepultura regum Cypri. Duos ambitus habet marmoreis columnis sustentatos per gyrum, et omnes officinas ordinis admodum pulchras et aptas habet. Superius lucida habet dormitoria, inferius marmore strata pavimenta. Quandam vice cum solus per dormitorium deambularem, reperi quandam cellam apertam, et dum percepit, quod esset vacua, nec aliquis iam frater eam inhabitaret, ingressus sum cellam, ut eam viderem. Erat autem in cellae pariete factum reservaculum sine sera, ligno clausum, ferreo tamen parvo repagulo clausum; ad illam capsam ergo ut curiosus accessi et remoto repagulo aperui,

344

144

Ende

Anfang

